



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-129517-p0001-2

DFG



1789. ~~33.~~  
DE  
**CLAUSULA:**

Was

Erd=Sand=Sand=Sauer=  
Sieth-Sagel-und Schrauben-  
feste ist.

Quæ ut plurimum Emtioni-  
Venditioni, præprimis ædium,  
adjici solet, quædam differit,

AC SIMUL

**COLLEGIA SUA**

Semestri hoc æstivo habenda

intimat

**ABRAHAM KAESTNER,**  
U. J. D. & Pr. Lips.

---

LIPSIAE,  
Typis JOH. HEINRICI RICHTERI.

DE

# CAESAR.

DE

ANNA. ANTONIUS. CAESAR.

ANNA. ANTONIUS. CAESAR.

ANNA. ANTONIUS. CAESAR.

ANNA. ANTONIUS. CAESAR.

COLLEGIA SVA

ANNA. ANTONIUS. CAESAR.

**C**onventionem dare legem contractui,  
*l. 23. ff. de R. J.* & provisionem homi-  
nis tollere legis provisionem, *l. 2. C. de*  
*exec. rei jud. Hartm. Pistor. Lib. I. qu.*  
*47. n. 9. vers. Est enim. nemo forsan*  
inficias ibit; Hinc in concipiendis sen-  
tentias Judex ante omnia, an Pactum seu Contractus adsit,  
attendere debet; *Quia enim quilibet optimus rerum sua-*  
*rum administrator atque arbiter, l. 21. C. mandati, præpri-*  
*mis, quid inter partes sit actum, videndum, cum, quod se-*  
*mel placuit, amplius displicere nequeat, cap. 21. de R. J. in 6.*  
*cum nemo possit mutare consilium suum in alterius inju-*  
*riam, c. 33. d. l.* quam ob rem non obligatus, an & quomo-  
do obligatus esse velit, secum perpendere necesse habet, &  
postea, si se deceptum videat, suæ facilitati adscribat. Opti-  
me igitur pacientes sibi prospiciunt, si non tantummodo,  
animo bene deliberato, contractum ineant, sed etiam  
omnia ea, quorum intuitu iste celebratur, accurate & spe-  
cifice exprimant; Hisce quippe, similibusque neglectis,  
haud raro inter partes contrahentes lites oriuntur, de intel-  
lectu verborum dubiorum diu magnisque sumbris con-  
trovertitur, aliaque incomoda sequuntur, quæ cuncta, si  
ab initio melius sibi prospexit, evitari potuissent. Quo  
vero eo melius de mente nostra constet, unicum impræ-  
sentiarum exemplum in materia emtionis venditionis ad-  
ducemus, hocque ipso ante dicta illustrabimus, a quo ad  
alia multa negotia applicatio haud difficulter fieri poterit.  
Notum scilicet, emtionem venditionem celebrari vel sine  
scriptis, vel in scriptis, *vñ pr. J. de ent. vendit. j. l. 17. C. de*  
*fide instrum.* Regulariter quidem Scriptura ad ellentiam  
emtionis venditionis non requiritur, sed, quoties de re cer-  
ta,

ta, pretio & consensu constat, valide in hoc contractu aliquis obligatus censetur; Hinc, quamvis dictum sit: **Daß der Kauff und Verkauff zu Papiere gebracht werden solle, scriptura nondum pro parte essentiali habetur, & nihilominus uteque contrahentium ad oretenus promissa præstanta obstringitur, etiam si nunquam instrumentum super contractu conficiatur;** Aliud vero obtinet, si in specie conventum, non perfectum prius esse debere contractum, nisi postquam instrumentum plene confectum: **Es solle der Contract nicht ehe gültig seyn, bis solcher zu Papiere gebracht und von beyden unterschrieben worden,** vid. c.l.17. quo casu neuterante Subscriptionem obligatur.

Quando autem in Scriptis celebratur emtio venditio, (quod Jure Hebraico forensi in venditione rerum immobilia moris fuisse videtur, vid. Jerem. XXXII, 7. seqq.) ut plurimum, preprimis in venditione ædium, haec clausula: **Es solle das Haus nebst NB. allen, was darinnen Erd-Wand-Band-Mauer-Nieth- und Nagel-feste ist, verkaufft seyn/adjicitur;** Quæ clausula, quomodo sit intelligenda, & qualem in foro usum habeat, brevissimis delineabimus. Hanc vero non obscure explicat Ulpianus in l.17. §.7. & 9. ff. de act. emt. ibi: **Ea, quæ perpetui usus causa in adificiis sunt, adificii esse, quæ vero ad praesens, non esse adificii;** Item: **Constat, sigilla, columnas quoque & personas, ex quarum rostris aqua salire solet, villa esse.** Quibus verbis, mobilia immobilibus perpetui usus gratia actu destinata pro immobilibus haberi, satis Jctus innuit. Ut vero clausula nostra effectum suum rite fortifiatur, requiritur a) Ut ea res, qua de controvertitur, natura sua sit mobilis, atque talis permanserit ad illud tempus usque, quo de qualitate hujus quæritur, nec ex alia ratione ad res immobi-

mobiles referri possit. b) Ut restalis mobilis in prædium sit collocata, *vid. omnino* §. 11. d. l. 17. (c) Ut sit collocata in prædio, an vero hoc sit *Rusticum*, an *Urbanum*, nihil interest. d) Ut sit collocata ea intentione, ut perpetuam præstet utilitatem; Quibus requisitis concurrentibus, res, natura sua mobilis, fictione juris pro re immobili, seu parte prædii habetur, d. l. 17. §. 7. j. l. 12. §. 25. de *Instr. vel Instrum.* leg. sicque vi clausulae nostræ cum ædibus venditis ad emtorem spectat. *vid. Schreiteri Diff. de rebus mobilibus in perpetuum prædii usum destinatis*, Lipsia, 1690. habit. Cap. I. Num vero sola destinatio, non accedente usu, id, quo de dicimus, operetur, indistincte affirmare nolumus, quod vel exemplo loci religiovis, qui sola destinatione talis non fit, l. 42. ff. de relig. probamus. Cum autem intuitu hujus Dn. Jac. Born. in Dissertatione: *De eo, quod iustum est circa destinationem*, Lipsia 1690. habita, otium nobis fecerit, lectorum eo remittimus, & in subsequentibus clausulam nostram quibusdam casibus, qui in dictis duabus dissertationibus non continentur, adhuc illustrabimus. In venditione ædium emtor sibi aliquando ita prospexerat: **Er kaufte das Haus, und was darinnen Erd-**  
**Band-Nagel-und NB. Schrauben-feste wäre.** Vi hujus clausulae iste deinde a venditore veru automaton (*den Bratenwender*) desiderabat; Hinc quæsitum fuit, an pro venditore, an pro emtore sit pronunciandum? Pro emtore militabat pactum; hic enim omne id, **was Schrauben-feste, emerat, weil nun der Bratenwender in der Küche angeschraubet,** hinc etiam sententiam prose sperabat; Quia tamen per prædictam clausulam illa saltem intelliguntur, quæ difficulter, nec citra insignem adi-

um deformitatem amoveri possunt, pro venditore sententi-  
am tulit Inclitus Scabinatus Lipsiensis, Mense Martio 1694.

Aliud vero dicendum, wenn der Bratenwender an  
der Wand angeniehet, hoc enim casu pro accessione ædi-  
um habetur; Hinc mora quæstione: Von dem angenie-  
theten Bratenwender, pro emtore pronunciavit jamjam  
laudatus Scabinatus, ad Consultat. Peter Müllers zu  
Dresden, Mense Septembri, 1693. Quid denique senti-  
endum von denen meszingen hohlen Füßen und  
Knöpfen, so man zur Zierrath um die eiserne Füße und  
Schrauben des Osens setzt und schraubet, item, denen  
meszingen grossen Wand-Schrauben und Vorsetzern/  
iterum dubitatum fuit; Ast haec, similiaque non ad emto-  
rem, sed venditorem spectare, in prædicto Responso ad  
Consult. Peter Müllers, Dnn. Scabini Lipsienses judica-  
runt. In mentem etiam venit Casus, controversiam esse  
motam von denen zinnernen Hand-Fäßern, so in die  
Wand eingeschoben zu befinden, quæ jure meritoque tan-  
quam accessiones ædium emtori etiam adjudicavit Scabi-  
natus Lips. Mense Augusto, 1696. in qua causa simul ratio-  
ne des angeschraubten Fleisch-Haackens, contra emto-  
rem judicatum fuit. Tandem notissimum est, ahenum  
etiam ædibus affixum in nostris terris Geradæ mulieris ac-  
censi, vid. Weichb. Art. 23. Hartm. Pistor. Part. I. qu. 32.  
Coler. Part. I. dic. 60. n. 31. An vero proxima cognata, in  
ædibus a foemina alienatis, ahenum sibi vindicare queat,  
non adeo expeditum. Vendiderat scil. mulier ædes suas,  
quibus ahenum affixum erat, mortua deinde venditrice,  
proxima cognata ab emtore ædium ahenum, tanquam rem  
Geradicam, petebat, emtora autem, ut accessorium ædium,  
hoc retinere laborabat; Et pro emtore etiam hoc casu re-  
sponderunt Dnn. Scabini Lipsienses Mense Augusto, 1696.  
quia

quia defuncta cum ædibus ahenum vendidisse videbatur.  
Facili negotio plures adhuc alias casus adducere possemus,  
nisi præsens Scriptum ad alium usum esset destinatum.  
Hoc unicum admonendum adhuc putamus: *Ne clausula nostra quis nimis fidat*; Ex adductis enim satis, abunde-  
que apparent, ejus intuitu sæpiissime lites oriri; hinc omni-  
um optime partes contrahentes faciunt, maximeque sibi  
prospiciunt, quando omnia sigillatim & specificie in con-  
tractu exprimi curant. Tanta equidem est horum tem-  
porum malitia, ut vix ulla obligatio tam firme, tamque po-  
tentibus clausulis etiam a Viris peritis & bonis confici &  
conscripti possit, quam non quorundam debitorum pver-  
sitates & eorum Rabulæ forenses fraudulententer pertundant  
ac perviam reddant; Sunt verba *Gailii de Arresto c. 9.n.17.*  
Interim tamen non videndum, multo minus imitandum,  
quid sit a Rabulis istis forensibus, qui omnino honore & no-  
mine Advocatorum sunt indigni, sed attendendum, quid  
faciendum sit ab honestissimis & religiosissimis causarum  
Patronis, quorum munus est laudabile, vitæque hominum  
necessarium, v. l. 4. C. ed. *Adv. div. judicium j. l. 14. C. de*  
*Adv. div. judicior.* hi enim omnino juris nostri præce-  
ptum omni data occasione observabunt: **Suum cui-  
que tribuendum.** Chartæ angustia exigit, ut nunc  
etiam id, cuius gratia hæc conscripti, in specie indicem. Pra-  
xin scil. forensem cum Juris Theoria constanter conjungere  
per longum temporis spatium mihi arrisit, utrique etiam,  
quia semper pro nosse & posse omnem diligentiam ac fide-  
litatem adhibui, Summum Numen ex alto hic usque bene-  
dixit. Hoc igitur propositum etiam per instans semestre  
spatium continuare, proptereaque Collegia ea, quæ de no-  
vo sum inchoaturus, sequentibus intimare volui:


I. Ela-

- I. Elaboratorio-Practicum incipiam, in quo, methodo hactenus usitata, Scripta, quæ ab Advocatis sunt elaboranda, v.g. Libellos, Positiones, Supplicationes, Leuterationes, Appellationes &c. Dni Auditores proprio conficiunt Marte, hocque modo, mutatis subinde personis, Processum Ordinarium, Summarium & Executivum absolvunt, ut ita quilibet sit Actor, Reus & Actarius &c. Hora VII. ad IX.
- II. Strykii Examen Juris Feudalis explicabo. Hora IX. ad IX.
- III. Institutionale, quod vocant, in ipsum Institutionum Imperialium textum exordiar; Cum tamen multæ definitiones, aliaque circa textum sint supplenda, hinc, uti hucusque feci, de quo priora Programmata & omnes ii, qui hactenus Collegiis meis interfuerunt, testantur; Magnifici nostri Ordinarii Usum Theoretico-Practicum melioris explicationis ergo etiam hac vice semper adhibeo, Hora X. ad XI.
- IV. Collegium Pandectarum in Schoepfferi Synopsin juris privati de novo inchoabo. Hora II. ad III.
- V. Cum omnino utile sit, ut etiam ii, qui aliquando causas in foro tractare volunt, debito modo præparentur, antequam ipsam elaborationem incipient; hinc juxta propria præcepta, quæ ad describendum communicantur, viam ad futuram Elaborationem, adhibitis Actis judicialibus, fideliter aperiam, in Collegio, quod Præparatorio-Practicum voco, diebus ♀ & ♂ hora IX. ad IX.
- VI. Ut tradita in Discursu, aliaque memoriarum mandata eo facilius & rectius applicentur, prædictis diebus Repetitionem propositorum, & simul Exercitum Disputatorium alternative instituimus. Hora IX. ad X.
- Singula memoratae Collegia, peractis instantibus solennibus Nundinis, futuro scil. XV. Maji, initium sument, ac auxiliante Summo Numine, per hoc se mestre æstivum, Pandectis exceptis, absolvit debent. Fauxit Deus O.M. ut omnia in ejus gloriam peragantur & feliciter eveniant. Dabam Lipsia,  
Dom. Jubilate, A. R. N. c/o Iocc XXIV.

— ♀ ) ( o ) : ( ♀ —

Leipzig, Diss., 1724  
X 230 9475





1789. 33.  
DE  
**CLAUSULA:**  
Was  
**Erd=Sand=Sand=Kauer=**  
**Hieth=Hagel=und Schrauben=**  
**feste ist.**  
**Quæ ut plurimum Emtioni-**  
**Venditioni, præprimis ædium,**  
**adjici solet, quædam differit,**  
AC SIMUL  
**COLLEGIA SUA**

Semestri hoc æstivo habenda  
intimat  
**ABRAHAM KAESTNER,**  
U. J. D. & Pr. Lipſ.

---

LIPSIÆ,  
Typis JOH. HEINRICI RICHTERI.